

1. Stanislaus a Jesu Maria Congregationis Immaculatae Conceptionis Clericorum Marianorum Defunctis Suffragantium indignus Praepositus. Fratribus in Eremito salutem et benedictionem.
2. Duo sunt splendores quibus sacra vehementer esucent instituta: Virtus et eruditio. Illam Regularis observantia demonstrat, hanc proximorum commendat utilitas. Quocirca Nos Divina dispositione Congregationis Nostrae admoti, regimini et obsequiis, in hoc toto studio satagimus incumbere, ut omnes Nostros in Domino Fratres Religiosae vitae disciplina perfecta, et sufficientis scientiae decore conspicuos videamus et habeamus.
3. Et sicut hactenus votis nostris ex integro potiri non potuerimus, tamen adjuvante Domino Deo nostro deinceps Nos id assecuturos minime dubitamus, ac ne deesse quidquam queat, quod munus nostrum officiumque concernit Instructorem vobis tam in vero, ac solido spiritu et Religiosa perfectione, quam in Literis humanioribus et Theologiae Moralis et Philosophiae exercitationibus Charissimum in Domino Fratrem Joachimum a S. Anna Congregationis Nostrae subdiaconem ad biennium submittemus, constituimus et ordinamus, confidentes in Dei misericordibus quod sibi demandatum ad meritum obedientiae et Charitatis Spartam egregie sit ornaturus.
4. Proinde sicut eidem serio iniungimus et praecipimus, ut invigilet et assidue et diligentissime observantiae legum nostrarum, rigorosissime, ac Literariis exercitationibus: ita Charitates vestras omnes et singulas commoneamus et per omnia sacra obtestamur, ut illi in utroque impigre, prompte, hilariter, fidesiter, humiliter, constanter, perfecte obtemperetis.
5. Itaque nemo vestrum deinceps sub excommunicationis poena, absque Nostra expressa licentia ex Eremito prodibit etiam ad vicinos rivos aut benefactores excepto Vicario Nostrum et Esceosynarium ac Domus Procuratore, quem talem praesentibus declaramus charissimum in Christo Fratrem Andream juniorem.
6. Nemo se ab oratione tam mentali quam vocali assidue communibus et consuetis exercitiis nostris ac studiis (nisi legitima aliqua cum scitu Vicarii aut Instructoris actione impediatur) absentabit; ad mensam ordine hebdomadam, (solo Vicario exempto) Lectioni Sacrae intendant. Post mensam illico absoluta Rosarii parte Theologiae vacabitis morali quae pro arbitrio Instructoris vel ad casuum vobis dictabitur vel ex probatis authoribus perlegatur, semper adhibito examine, quantum quis profecerit.
7. Singulis diebus Sabbatis ordine habebunt sermones breves de virtutibus sectandis vitisque extirpandis, ac vitandis ac de aliis materiis salutaribus, quos deinde (si ita videbitur Vicario ac Instructori) die sequente Dominico in ecclesia ad absente stantes non ex cathedra repetere ad populum si praesens aderit fructuose poterunt.
8. Rubricae Missae ac Breviarii Romani singulis Dominicis et Festis post meridianam refectioem legentur. Norma vitae, Sacrae Literae, Speculum parvum Religiosorum, Exemplorum Liber et piorum SS. Coadiutorum, tum de imitatione Christi, quotidie silentibus universis, nec unquam hoc silentium Vicario dispensante in mensa meridiana et vespertina ad Instructionem spiritus et profectum in virtutibus distincte perlegentur.
9. Sacrum diebus Dominicis et Festis cantabitur more nostro. Litaniae vero Laurentiae, aut de Nomine Jesu serialibus tempore sectae Missae ab omnibus recitantur pro nostra Congregatione.
10. Communis flagellatio, quam visco disciplinam vocant, feria secunda, quarta ex sexta in communi per Psalmum Miserere et De profundis habebitur, privatim quotidie surpendo et decumbendo pie recommendamus. Exercitium manuale tametsi brevissimum nunquam intermitteretur.
11. Denique omnibus vobis amorem in Deum, devotionem in Virginem Essectissimam et SS. Patronos, mutuam Charitatem, pacem, concordiam, votorum Sanctorum custodiam, studium ferventis orationis et solidae mortificationis, humilitatem, patientiam, gratitudinem, et in Sancta vocatione cum adiutorio Dei perseverantiam ardentem commendamus, atque vestris orationibus me miserum senem Domino Deo iugiter commendare non intermittatis vehementer obsecramus.

Datum in Caenaculo Domini Neocerasofymitano. Die 19 Aprilis 1690.

Indignus Servus vester in Domino
Stanislaus a Jesu Maria mpp.

